



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Caroli tertij fratris Carolomanni regis Boiorum & Italiae donatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

*Rantersdorf*: nunc est *Ranshouen* cœnobium: proximo *Brundunum* urbem: vbi quondam palatium regium: & sedes iudicum vectigaliumque crarium fuit & publicanorum: vti nunc est *Brunduni*: ita vetera monumenta ejusdem Cœnobij indicant.

*Caroli* tertij fratris *Carolomanni* regis *Boiorum* &  
*Italia* donatio.

**I**N nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis, *Carolus* (diuina fauente clementia.) Imperator Augustus. Si locis diuinis cultibus mancipatis: aliquid emolimenti contulerimus: præsentis vitę prosperitatem, à Deo nobis donari credimus: & æternę vitę beatitudinem consequi non dubitamus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria: qualiter nos ob amorem Dei, ac pro remedio animarum, parentum nostrorum, genitoris & genitricis nostrę, fratrum, sororumque nostrarum, ac pro nostra & conjugis nostrę æterna remuneratione, nouas res, de curtibz nostris subternominatis omnium rerum, ad Capellam quę sita est in villa quę dicitur *Otinga*, perdonauimus. Id est, de *Weles*: de *Aternhoua*, de *Matahoue*, de *Rantersdorf*, de *Muninga*, de *Schvwindlenbach*, de *Otingen*, de *Osternmündingen*, de *Salzburchoue*, de *Salina*, de *Atilla*, de *Osterhoua*, de *Dingoluing a*, de *Liuchingan*, de *Incingan*, de *Peringē*, de *Chreminchoue*, de *Veldan*, de *Helfendorf*, & nonam partem in vitę ad *Rantersdorf* & *Tabshaim*. Ideoque hos nostrę auctoritatis apices, inde conscribi mandauimus, per quod decernimus atque omnino sancimus, vt præfatę res, ad præfatam Capellam deinceps securiter atque inuiolabiliter permaneant, nullo vnquam successorum nostrorum eas interrumpente. Et vt hæc largitionis nostrę auctoritas firmior habeatur, manu propria subter eam firmauimus, & annuli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum *Caroli*  *Serenissimi Imperat. Augusti*

*Amalbertus* Notarius ad vicem *Luitwardi* Archicancellarij recognoui. Data VIII. Cal. Septembris. Anno incarnationis Dominicę. D. CCC. LXXXV. Inditione III. Anno Imperij piissimi Imperatoris *Caroli*, in *Italia* quinto, in *Francia* quarto, in *Gallia* primo. Actum ad *Weibelingam* in Dei nomine foeliciter Amen.

*Arnolphi* Imperatoris instrumentum filij *Carolomanni*  
Regis *Boiorum*.

**I**N nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis. *Arnolphus* diuina fauente gratia: Imperator Augustus: Notum sit omnibus sanctę Dei Ecclesię fidelibus: tam præsentibus quam futuris: qualiter nos pro æternę felicitatis adipiscenda mercede: nec non per supplicationem *Wichingi* venerabilis Episcopi cuidam fideli ac religioso presbytero (cui nomē *Ellenprecht*) tales res (quales hætenus in beneficium in *Rantersdorf* muneris nostri largitate tenebat, id est Capellam quam nos in honore Christi & S. *Pancracij* à fundamentis construximus: doteque opportuna & ecclesiastico ornatu accumulauimus) cum omnibz quę modo per præceptum nostrum illuc collata sunt: vel in futuro collata erunt: integriter ad proprios diebus vitę suę concessimus: cum curtibus & ædificiis: famulis & vtriusq; sex<sup>9</sup> mancipiis, vineis & vinitoribus, censibus, agris, pratis, pascuis, syluis cum foresto ad hengiste, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inuis,